Besser, Conrad Moritz
De animo

DE ANIMO DISSERTATIO

QUAM

UNA CUM THESIBUS CONTROVERSIS

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI HALENSIS

AUCTORITATE

PRO

ADIPISCENDA FACULTATE DOCENDI

DIE XXVII SEPT. HORA X A. MDCCCXXVIII

PUBLICE DEFENDET

CONRADUS MAURITIUS BESSER
PHILOSOPHIAE DOCTOR

CONTRA ADVERSARIOS

CAROLUM RAETTIG PH. DOCT.
RUDOLPHUM HANOW PHILOL. STUD.
GUSTAVUM KIESSLING PHILOL. STUD.

HALAE,
TYPIS HENRICI RUFFII.

DE

ANIMO

DISSERTATIO.

SCRIPSIT

CONRADUS MAURITIUS BESSER

PH. DR.

HALAE,

TYPIS HENRICI RUFFII

1828.

§. 1.

In perscrutanda rerum natura ut evadat cognitio veri, a re et **certissima** et **simplicissima** initium fieri oportet.

Animi naturam exploraturi, non exordimur ab animo, sed a re, quae aliena videri possit, quum nihil ejus proprium esse velimus, nisi id, ut sit certum et simplex. Animus enim quid sit, per se jam non liquet. Est vero sciendum, principium, quod invenietur a nobis, nonnisi animo inveniri, ideoque in omni, quale sit cunque, principio, aliquid esse, quod ad animum necessario ducat, ejusque cognoscendi opti-

mum fundamentum sit. Non solum certum, sed etiam simplex initium quaerimus propterea, quia, ut perspiciatur compositum aliquod, ad ejus partes, id est, ad simplicia descendatur necesse est.

Inter omnia certissimum visum est Esse. Sed Esse, quia conscientiae (vel animo) necessario inhaeret, non est simplex. Neque vere simplex est ipsa conscientia, cujus primam formam intelligimus sensum esse. Itaque a sensu exorsi ad perfectiores animi formas ascendemus, ut infra patebit.

§. 2.

Quoniam qui verum cognovit, etiam, quid sit falsum, intelligit, rectum non male dicitur et sui index et obliqui. Sed etiam falsi, quod verum habetur, natura est ea, ut index veri esse videatur. Itaque ubi agitur de principio scientiae, non est exordiendum ab eo, quod hic vel ille crediderit verum esse, sed ab eo tantummodo, quod, an sit verum, in dubium sine amentia vocari nequit.

§. 3.

Quicquid est, et cogitari potest esse, et non esse. Quod non esse cogitatur, cum non sit necessarium et per se verum: apparet, ex

iis, quae sunt, principium cognitionis peti non posse.

§. 4.

Unum prae ceteris Esse videtur certum ac necessarium. Dicens enim: Esse non est; videris quidem ex essendo Esse dimittere, re vera autem non mittis, quia essendum in animo retines. Quo clare patet, Esse purum imprimis pro vero atque certo habendum esse.

§. 5.

Quod est unum et e multis compositum, totum est. Quod unum est, sed non totum, est simplex. Quaeritur, an Esse purum sit simplex.

§. 6.

Esse, quoniam e cogitatione removeri non potuit, non existit per se, sed necessario inhaeret conscientiae. Itaque non Esse est vere simplex, sed conscientia.

§. 7.

Quid sit pura conscientia, non liquet. Teneamus autem essendi conscientiam et remoto essendo videamus, quale sit, quod relinquitur.

§. 8.

Simulac Esse purum abest, abest conscien-

tia, quo patet, rei alicujus conscientiam esse rem ipsam.

§. 9.

Sed conscientia rei non est pura conscientia. Haec quid sit explicare non poteris, nisi attendendo et inquirendo, quid relictum sit tibi, postquam res animo excidit. Intelligis, autem, relictum esse rei appetitum ac studium.

§. 10.

Hoc studium cum certum atque directum sit, non vere est simplex. Exploranti enim certi studii naturam primum indagandum est, quid sid studium, deinde, quid sit certum studium. Itaque studium incertum vel purum certo appetitu simplicius est.

§. 11.

Incertum hoc studium vix dixerim vere studium esse. Est vitae principium, in quo omne desiderium quasi sepultum est, est, ut ita dicam, facultas, ea, quae occurrunt, concipiendi, est sensus.

Purus ille intuitus, quo solo omnes sensuum perceptiones possibiles esse Kantius demonstravit, non est vacui spatii vel temporis objectiva imago, sed subjectiva facultas,

conjungendi inter se ea, quae videntur ac fiunt.

§. 12.

Quod sensus percipit, est. Entia, quamvis multum inter se differant, eo tamen conveniunt, ut sint. Sunt autem, quia concipiuntur sensu. Itaque Esse purum est nihil nisi sensus percipiens vel sensus objectis determinatus.

Errant, qui Esse purum habent pro notione abstracta, quam philosophorum scrupulosa subtilitas prodiderit et rebus impresserit, quum illud anima rerum et vita sit. Nam sensus non inclusus est in corporibus hominum, sed ipsis in rebus vivit, earumque medulla est.

§. 13.

Sensus a mundo non est diversus. Si multi essent hominum sensus, multos etiam mundos esse oporteret. Cum vero unus tantummodo mundus sit, manifestum est, nonnisi unum sensum existere.

Quod ut clarius intelligatur, affero ex Kantii libello, qui scriptus est de mundi sensibilis atque intelligibilis forma et principiis, haec verba, quae inveniens p. 38: „Anima non propterea cum corpore est in commercio, quia in certo ipsius loco detine-

tur, sed tribuitur ipsi locus in universo determinatus ideo, quia cum corpore quodam est in mutuo commercio, quo soluto omnis ipsius in spatio positus tollitur." Quibus ex verbis cognosci potest, homines unicuique corpori aliquam animam ideo affingere, quia animam in corpore habitare existimant. Sed rectius dixerint, mutuam tantum inter hominum corpora animamque, quae una est, necessitudinem intercedere.

Nec non una est intellectiva atque rationalis hominum anima, quae, ut infra patebit, nihil nisi perfectior sensus vel sensitivae animae forma est. Quod quum inter Graecos Aristoteles potissimum intellexerit, vidit etiam celeberrimus operum Aristotelis explicator Averroes. De ejus sententia Fr. Toletus in commentariis in tres libros Aristotelis de anima Colon. Agr. 1615. fol. VI col. 4 hoc scribit: „Anima rationalis et intellectiva non est una numero in omnibus hominibus, sed est et fuit et erit plurificata secundum individuorum hominum pluralitatem, ita ut singulae sint in singulis. Haec est de fide determinata in concilio illo Lateranensi tertio sessione octava. Oppositum habuit Averroes, qui unicum intellectum numero assistentem omnibus hominibus posuit."

§. 14.

Quale sit Ens, id ad ejus Esse non pertinet. Existens qualitas dicitur res, non existens materia (ὕλη, Stoff).

Qui sensum purum existere negant, non minus in errore versantur, ac ii, qui sensum a rebus diversum esse censent. Diversus a materia sensus est, sed materia non est. Existens materia non materia amplius, sed res dicenda est.

§. 15.

Si res extinguitur, id est, si solvitur sensus et materiae nexus et unitas, relinquitur sensus.

§. 16.

Sed non purus sensus relinquitur. Nam ille nihil desiderabat neque recte dicebatur appetitus: hic sensus, quamvis certus et directus appetitus non sit, tamen vere est appetitus; est simplicis negationis conceptus et amissae rei desiderium. Sensus purus nil sensit, nil cupiit: hic cum sentiat vacuum, cupiatque, ut aliquid sit, non sensus dicendus est, sed incertum et vagum desiderium.

§. 17.

Quoniam in vacuo non datur conceptus atque possessio, desiderium illud, quod vagum dixi-

mus, non potest aliquid comprehendere. Jam cum huc illuc vagans quaerat objectum, sed non inveniat: se ipsum tamen vacua pererrans agnoscit et sentit. Deserit igitur vacuum et sese amplectitur..

§. 18.

Sensus, qui se ipsum concepit, vel potius studium in se requiescens est Ego. Itaque Ego est sensus existens, ejusque proprium est, ut desideret aliquid.

Qui dicunt, Ego esse conscientiae conscientiam, potiorem ejus formam declarant, quam infra exhibitam a nobis invenient.

§. 19.

Quandoquidem Ego desiderium est, percipit, quod ei datur, objectum, et ejus conscium est.

Ego non impeditur objecto, quominus ultra progrediatur. Objectum enim non oppositum est desiderio, sed quasi complementum ejus.

§. 20.

Concepit Ego, cujus est conscium, et, dum tenet objectum, sibi id repraesentat. Cum sit alicujus rei repraesentatio nihil nisi conceptus ejus, apparet, rerum repraesentationes a rebus ipsis non esse diversas.

Nemo est, qui de eo, quod vidit, dubitet praedicare, quid sit, quamvis jam in conspectu id esse neget. Sed si vere res abest, neque oculis adspicitur, qui fit, ut verba de ea facere possis? Qui aliquam rem acriter inspicientes claudunt subito oculos reique repraesentationem tenent, clare intelligunt, hanc repraesentationem a re, quam apertis oculis videbant, distingui nullo modo posse.

Neque dictu est valde difficile, quomodo factum sit, ut rerum repraesentationes a rebus ipsis diversae videantur hominibus. Quum, quae occurrunt in mundo sensibili, maxima ex parte et tactu percipiantur et visu, tactus autem proprie nil habeat cum visu commune, distinguendus est mundus tangibilis a mundo visibili. Est autem inter eos hic nexus, ut, si quid tangas, eodem loco oculis aliquid adspicere soleas. Tangibile enim non excludit visibile a spatii communione, quia prorsus nihil iis commune est, quod efficiat, ut unum aliquo modo alterum afficere et a suo loco depellere possit. Ita dum tenent unum eundemque locum, rem unam faciunt. Iam quum visibilium repraesentationes sint, tangibilium non sint, ita, ut illa quidem semper, haec certo tantum tempore existant, quid mirum, si mundus visibilis ab eo mundo distingui-

tur, qui et visu et tactu percipi potest. Denique si quaeris, qui fiat, ut tangibilia cogitationi inhaerere non possint, causa haec est, quod eorum, quae tangimus, unum alterum delere et extinguere soleat. Visus enim composita, tactus non nisi simplicia concipere potest.

Quem vulgo dicunt mundum realem est mundus tangibilis. Tactus enim quoniam non nisi simplici dolore vel voluptate affici potest, videtur verior visu et longe superior. Itaque iis, qui visum dicunt tactu, gustu, odore nobiliorem esse, assentiri se simulant homines, re vera autem neque iis credunt, neque, quid velint, intelligunt. Delectantes enim vino et cibis ea vere existere certo sciunt: sed quae remoto mundo tangibili visus retinuit et sibi repraesentat, ea dicunt cogitari tantum, non esse.

Qui, quoniam mundum sensibilem novas semper formas induere videant, negant, eum vere existere, errore ducuntur. Dicentes enim, mundum, qui cras fuit, hodie non esse, quoniam hodie non sit talis, qualis cras fuerit, sibimet ipsis contradicunt, affirmantque, quod negare volunt. Si enim mundus, qui cras fuit, hodie non existeret, quis eum diceret ab hodierno mundo diversum esse? Licetne, quae non sunt, cum iis comparare, quae existunt?

§. 21.

Repraesentando efficitur, ut complures res una existant. Quia, quae sunt, aut differunt aut conveniunt inter se, distinguuntur ab invicem repraesentationes aut inter se comparantur. Distinctio et comparatio rerum est cogitatio (τὸ νοητικόν).

Quum supra demonstratum a nobis sit, mundum sensibilem unum tantum numero esse, apparet, etiam repraesentationem alicujus rei non aliam esse in aliis, sed eandem in omnibus. Itaque si tibi est alicujus rei conscientia, conscientia tua in re est, neque dicendum, homines comparare objecta et cogitare de eorum natura, cum rectius dixeris, res ipsas naturam suam exhibere atque explicare. Quod cum iis inauditum esse non possit, qui mentem humanam unam eandemque in omnibus esse intellexerunt, clarissime tamen ab iis perspicitur, qui in perscrutanda rerum natura attendendum maxime id esse censent, quomodo ipsae res, quid et quales sint, edoceant.

§. 22.

Quum cogitet Ego, cogitatio autem nonnisi objectis immersa et objectiva sit: etiam Ego, dum cogitat, in objecto sit opus est. Non autem, sicuti sensus, quiescit in rebus, sed, quia eas comparat inter se et disponit, activum est.

Ego cogitans de rerum natura inest in rebus, neque amplius ab iis distingui potest. Itaque proprie non cogitat Ego, sed ipsae res cogitant. Res autem, dum cogitant, non solum existunt, sicuti antea existebant, quum sensu perciperentur, sed etiam τὸ Ego involvunt et continent, et ipsae sunt Ego cogitans.

§. 23.

Jam vero ubi se ipsum Ego considerat, non solum sentit, se esse, sed conscium sui est, simulque veram suam naturam agnoscens se personam esse intelligit.

§. 24.

Perspicit enim potentiam et vim, quam cogitando exercet atque declarat, neque amplius est debile desiderium, sed conatus sui insitique vigoris certus et conscius, qui dicitur voluntas.

In omni voluntate aliqua vis inest. Itaque appetitus sui conscius non est voluntas. Propositum est desiderio, ut concipiat aliquid, voluntati, ut agendo aliquid consequatur.

§. 25.

Persona vult, vel potius, personam voluntas involvit. Nam quum persona quasi sit punctum, unde exordiatur voluntas, ab ipsa voluntate diversa non est.

Ut e mathematicis exemplum petamus, punctum, ex quo linea progreditur, inest in linea, ideoque distingui ab ea non potest.

§. 26.

Postquam voluntas comprehendit, quod petiit, non voluntas est amplius, sed voluptas (Wohl).

§. 27.

Quoniam voluptas est unitas personae et ejus, quod proprie diversum a persona fuit, non potest fieri, ut voluptas vere voluntati satisfaciat. Hoc ubi primum intellexit voluntas, emergit e voluptate et in se melius aliquid latere intelligens, id petit. Secum quia optime congruit, in se requiescit.

Manifestum est, voluptate hic nihil aliud significari, quam nexum voluntatis et ejus, quod diversum a voluntate est. Hunc nexum verum voluntatis portum non esse, norunt, qui vitam humanam attentius contemplari sunt soliti. Pars maxima hominum novas in dies voluptates quaerit et expetit, quamvis nunquam iis vere contenta sit. Audies enim eos dicentes: Degimus miserrimam vitam. Opera et labore depressi, epulantes atque cum amicis colloquentes, vivimus hodie, sicut heri viximus. Nil novi, nil insoliti compe-

rimus. Praeterea multa nobis desunt, quae ad usum vitae sunt necessaria.

Compluribus annis praeterlapsis si quaeras ex iis, an jam vivant sua sorte contenti, res plurimas eos desiderare intelliges. Quamvis, quod antea appetebant, jam teneant, nova concupiscunt, se ipsos per totam suam vitam non inveniunt nec comprehendunt.

§. 28.

Voluntas sibi congruens dicitur **Bonum** (τὸ ἡγεμονικόν). Notione Boni extincta voluptas, voluntas perfecta est.

Si quis crediderit, nos non bonitatis, sed vanitatis naturam exhibuisse, quum vani sit, se suisque actionibus prorsus contentum esse, is, quid velimus, non satis cognovit. Credere, quicquid factum a se est, bene factum esse, est vani; nil velle et agere, nisi quod sibi ipsi satisfaciat, boni est.

§. 29.

Est igitur proprium Boni, ut velit. Vult autem id solum, ut iis, quae sunt, sui ipsius natura impressa sit.

Animus (vel potius voluntas) ubi vere perspexit, quid sit bonum, ideam ejus amittere non potest. Itaque in hominibus omnibus

est permanens desiderium et constans appetitus boni. Sed quoniam, antequam ad ideam boni perveniret, voluptatis deliciis delectata voluntas est, etiam posthac desiderat, quod naturae ipsius non vere congruit. Oriuntur hoc modo boni et voluptatis inimici sibique oppositi appetitus, quorum hic dicitur malum. Bonum igitur est secum consentanea voluntas, malum voluntas bono vel potius sibi ipsi repugnans: bono deletur prorsus et extinguitur malum, malo vinci bonum et deprimi, dissolvi autem nullo modo potest.

§. 30.

Bonum absolutum est Deus. Quare in Deo inest omne bonum, et Deus nihil vult, nisi bonum.

Si quaeritur possitne fieri, ut homo sit sicuti Deus, respondeo, id posse fieri. Si quaeritur porro, unquamne quis inter homines extiterit, quem Deum appellari fas sit, unum extitisse respondeo. Neque vero ab iis dissentio, qui illum, in quo bonum constans et absolutum fuisse intelligimus, Deum dici volunt, non hominem. Fuit enim Deus humano corpore indutus.

§. 31.

Ego, quia involutum Bono ac Deo est, di-

stingui ab iis nequit. Itaque non est dicendum: Ego sum, et in me idea de Deo est, sed potius: Deus est, ego non sum.

Fr. H. Jacobi in libello «Jacobi an Fichte. Hamburg 1799» p. 49 hoc dilemma proposuit: Gott ist, und ist aufser mir, ein lebendiges für sich bestehendes Wesen, oder ich bin Gott. Es gibt kein drittes.

Nemo adhuc explicuit neque unquam explicabit, quomodo fieri possit, ut Deus sit extra me, ego vero ideam de eo concipiam. Omnis enim cognitio est cognoscentis et rei, quae cognoscitur, unitas, ut supra demonstratum a nobis est. Extat autem tertium, quod duobus illius dilemmatis membris addi debet, ut dicendum sit ita: aut Deus est extra me, aut ego sum, Deus a me diversus non est, aut Deus est, ego non sum. Quorum postremum unice verum esse apparet. Idem, ni fallor, vidit ipse Jacobi, quum in libro «F. H. Jacobi von den göttlichen Dingen und ihrer Offenbarung Lpz. 1811» p. 6 haec scriberet: Das ist seine (des Menschen) Vernunft dafs ihm das Dasein eines Gottes offenbarer und gewisser als das eigene ist.

§. 32.

Quoniam sensum Esse purum involvit, Esse vero Ego, Ego conscientia, conscientiam cogi-

tatio, cogitationem persona, personam voluntas, voluntatem bonum, bonum denique Deus continet: manifestum est, omnia esse in Deo. Est igitur in Deo persona. Deus est persona.

§. 33.

Quum tantum unus numero sensus sit, non nisi unum numero Esse, unum Ego, unam conscientiam, cogitationem, personam, voluntatem, unum bonum et tantum unum numero Deum esse necesse est.

Deum unum vel unicum proprie dicendum non esse, docuit Spinoza Opp Psth. Epist. 50. (Ed. Paul. Vol. I. p. 634 sqq).

§. 34.

Dei cognitio dicitur f i d e s. Itaque qui Deum cognoverunt, credunt.

Quum sint duo fidei genera, quorum alterum opinionem, alterum veram fidem appellamus, primum de opinione dicendum erit. Imperfecta alicujus rei cognitio si certam et perfectam se esse simulat, opinio dicitur. Quare opinio non est prorsus falsa cognitio, sed confusio quaedam veri et falsi. Ea si certa rei cognitione prorsus careret, non esset opinio amplius, sed mendacium.

Male defendunt vanam opinionis naturam, qui eam conclusionem per analogiam vel per inductionem esse dicunt. Nam si quis his concludendi perditissimis formis rerum naturam explicare susceperit, quamvis verum inveniat atque concipiat, tamen, quia certam methodum neglexit, et non argumentis, sed casu adjutus est, nihil demonstravit et explicuit. Quod imprimis intellexit Baconus Verulamius, qui eam, quae vulgo dicitur et in usu est, inductionem a studio scientiarum alienam et puerile quiddam esse censuit, summamque operam in eo consumsit, ut homines edoceret, quae esset vera et sincera inductio.

Vera inductio non temere properat a particularibus ad universalia, sed ab illis exordiens sensim sensimque procedit et ad principia ascendit, ut rerum naturam naturantem cognoscat. In ea igitur nihil est incerti, sed veritas. Si quis, ut exemplum proferamus, lecto Fr. Schlegelii libello, qui „Alarkos" inscribitur, quoniam fere nihil sani in eo invenerit, sibi persuasum habeat, autorem rudem atque imperitum esse poëseos, in gravissimo errore versatur. Nam liber, quem aliquis scripsit, non est perfectum ingenii ejus testimonium. Sin autem dicat lector, veram de arte poetica ideam autoris ingenio non

ita clare et distincte impressam esse, ut ab eo divelli non possit, recte loquitur.

Sed venio ad id fidei genus, quod veram fidem appellavi. In ea non est opinionum debilitas, sed certae cognitionis securitas. Vera fides est certa cognitio. Quaeritur, quomodo sit factum, ut cognitio certissima pro incerta habeatur et vulgo fides dici soleat.

Cognitio ab iis fides apellatur, quibus non est persuasum, eam veram et certam cognitionem esse. Quum primum Copernicus coelestium orbium cursum explicaret plurimi extiterunt, qui valde dubitarent an terra se vere circumverteret circa se ipsam. Illi igitur sententiam Copernici non certam rei cognitionem, sed opinionem esse censebant, quamvis, si rem recte perspexissent, aliter judicassent. Ita, qui Deum existere putant, non sciunt, vere ei credere nequeunt. Unde simul colligitur, non satis cognovisse Dei naturam, qui existentiam ejus non certam per se, sed aliunde demonstrandam esse existimant. Estque perniciosissima, quae nostro potissimum tempore invasit, ratio eorum, qui dicunt, esse, quod differat inter cognitionem et fidem. Fides, quae non est scientia, non est vera fides, sed opinio. Quod

clarius intelliges, ubi scripta eorum contuleris, qui studuerunt ostendere, quomodo discrepent inter se pia fides et scientia. Eos enim videbis voluisse quidem meliorem et veram fidei naturam reddere; et constituere, sed non potuisse, quoniam animos non fidei sed opinioni adverterint.

§. 35.

Quaeritur, quae sit vera de Deo idea. Vera idea est vera fides. Fides autem cum sit cognitio, et cum sit rei alicujus cognitio res ipsa, sequitur, quod vera idea de Deo sit Deus.

§. 36

Bonum est idealis mundi fons et principium. Est autem ea idearum natura, ut omnis idea sit bona, una autem altera perfectior et superior. Itaque cognitio idearum ita procedit, ut, si quam ideam imperfectam esse intelligas, meliorem ideam animo comprehenderis.

Qui v. c. justitiae ideam imperfectam esse cognovit, is perfectiorem ideam bonitatis conceperit et teneat necesse est.

§. 37.

Summa idea est Deus. Manifestum est, quale inter Deum ceterasque ideas intercedat

commercium. Quoniam, ut 'ante monuimus, idearum est proprium, ut alia sit minus perfecta, alia plus, quarum perfectior imperfectam involvat: apparet, Deum, quia est perfectissima idea, omnes ideas continere. Itaque Deus est idealis mundi perfectio, neque ideae diversae a Deo sunt, sed sunt in Deo. Solus autem Deus cognovit, quae vera sit sui ipsius et idearum et reliquarum rerum natura..

THESES CONTROVERSAE.

1. Quod esse videtur, est.
2. Totum a partibus suis non potest distingui.
3. Cicero de nat. Deor. I, 11 Pythagorae de Deo deque animis hominum sententiam injuria reprehendit.
4. Enuntiationes syntheticae, quas Kantius definivit, non sunt.
5. Qui dicunt, virtutem non propter se solam, sed etiam propter aeternae vitae praemia expetendam esse, veram virtutis naturam non tenent.
6. Inter improbos amicitia non est.
7. Matrimonium non initur eo consilio, ut liberi procreentur et educentur.
8. Qui scelus admisit, non, ut ceteri terreantur, neque ut ipse melior reddatur, poena afficitur.
9. Est didacticum carminum genus.
10. Lenzius in asseclis Goethii numerari non debet.
11. Geometria sibi postulat non spatium, sed visum.
12. Quae sit vera geometriae methodus, ex elementis Euclidis cognosci non potest.

5-73

Besser, Conrad Moritz
De animo